Universitätsbibliothek Paderborn

Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De oleo & Chrysmate 59

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Visual Library

pliciſſimè, ídque ea ratione, vt veram in Eccleſia Chriſti ædificationem promouere ac propagare poſſint.

Sexta & nona pars.

De vnctione olei & Chriſmate.

Cap. LIX.

HÆc quidem peruetuſta ceremonia eſt, iámque temporibus Cypriani vſurpata. Quis verò audiuit noſtro ſeculo populum de myſtica ſignificatione eius edoceri? Et quoniam Epiſcopi Chriſmatis conſecrationem, & vnctionem olei ſibi ſolis vendicarunt, à pleriſque in maiori precio habita fuit quàm Baptiſmus ipſe.

Quoniam verò Thomas quoque & alij ſcholaſtici Doctores fatentur, vſum iſtius prçſentis & omnium ſignorum quorum ſuperius facta mentio eſt, non eſſe neceſſarium: item ſigna ipſa non eſſe ſacramenta Eccleſiæ, ſanè nulla Eccleſia Chriſti condemnari poterit, etiamſi hoc ſigno non vtatur. Omne enim quod fidem in Chriſtum non ædificat, id in Eccleſiis Chriſti non eſt vſurpandum. Iam qui ſecundum veritatem iudicare vellet, prout noſtro tempore res comparatę ſunt, & hoc ſignum Chriſmatis ſeu vnctionis fidei in Chriſtum vel vtilitatis vel detrimenti adferat, is certè quantumuis antiquum ſit, ac multa de myſtica eius ſignificatione apud Patres ſcripta reperiantur, non magnoperè pro eo decertabit. Attamen quoniam peruetuſtæ obſeruationis apud Chriſtianos fuit, ſi per ipſum curſus Euangelij efficaciter promoueri poſſet, eiúſque ſignificatio rectè intelligeretur, piéque ac Chriſtianè vſurparetur, ita vt homines probè ſcirent, ſignum illud per ſe nihil largiri, aut Baptiſmum meliorem reddere: ſed tantum ſignaculum vnctionis Spiritus ſancti, quam à Domino nos orare oportet, quámque ipſe nobis largiri vult, ſine qua nihil diuinarum rerum intelligere, amare, aut opere perficere poſſumus: hac demum ratione piè, & ad ædificationem vtiliter hoc ſignum vſurpari poſſet. In eo verò diligentiſſimè cauendum eſt, nedum Euangelij propagatio, & vnitas Eccleſiæ prætexitur, hoſtibus Chriſti blandiamur, fugiamus crucem ipſius, atque obſcuremus gratiam eius. Veri enim fideles ac Filij Dei facilè adduci & perſuaderi poterunt, vt in hiſce rebus inſtitutione Domini ſint contenti, ſicut etiam ſuperſtitioſum iſtorum ſignorum abuſum facillimè perſpiciunt, ac libentiſſimè vitant.